



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

vii. De Adulterijs, & alijs co[n]iunctionibus illicitis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

tuatur, & ex eo, quod in se mutans periculū suscipit, aliquid ultra sortem vt recipiat, conuenit: nam hic vsurarius reputandus erit.

DE ADVLTERIIS,  
& alijs coniunctionibus  
illicitis,

TITVLVS VIII.

*Adulterij appellatio est generalis: proprie tamen in nuptiam committitur, & quæ sit adulterij pœna. h. d.*

Adulterij generalis est appellatio: continet enim non modò alieni thori<sup>a</sup> violationem, sed omnem propè illicitam fornicationem. Propriè tamen adulterium in nuptiam committitur. Pœna<sup>b</sup> in laico, excommunicatio: in Clerico, depositio: vel in utroque, certæ pœnitentiæ impositio.

*Arbitraria est pœna incestus, Sodomie, et rei habitæ cum brutis. h. d.*

Eadem vel etiam pro Iudicis arbitrio maior, aut minor, eos manet pœna, qui incestum commiserunt: vtputà, cum qui contra naturam humanæ societatis parentibus, vel liberis, vel alijs eiusmodi personis impudicè adhærent: aut si cum illa, quæ quis de sacro fonte susceperit, aut quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate inuingeretur, fornicationis scelus perpetraverit: aut cum relicto

naturali vsu contra naturæ<sup>c</sup> more Sodomitico fornicabitur: aut humani generis naturam transgressus, sese brutis commiserit.

*Quæ pœna sit stuprantis mulierem & honestè uiuentem, & uirginem deflorantis. hoc dicit.*

Quòd si quis stuprum admitterit, multum intererit, vtrum cum muliere honestè uiuente rem habuerit, an uirginem deflorauerit. Primo enim casu stuprator pœnitentiæ subditus, pecuniaria etiam pœna coercendus erit: posteriore verò<sup>d</sup> dotata uirgine eandem patre consentiente habebit uxorem: si verò pater uirginis dare noluerit, aut stuprator eam uxorem habere legibus impediatur, reddet pecuniam iuxta modū dotis, quæ uirgines accipere consueuerūt. Quòd si consentiente patre stuprator ipse corruptam uirginem in uxorem ducere renuerit, corporaliter castigatus excommunicatusq; in monasterium ad agenda pœnitentiæ retrudatur, de quo nulla erit ei egrediendi sine iudicis permissione licentia.

*Raptorum pœna excommunicatio, depositio, & seruitus, cum facultate tamen seipsū redimendi. h. d.*

Maior<sup>e</sup> legum seueritas raptos cohibet: nam præter secularium sanctionū pœnas, anathemate cum suis adiutoribus

*cap. clerici. extr. de excess. præla.*

*d cap. 1. & seq. ext. co. tit.*

*e can. 1. 36. q. 2.*

feriri, aut si Clerici sint, proprii ordinis & honoris amissionem substinere debent.

*In propria sponsa non cadit raptus, & raptus per consensum purgari potest. h. d.*

*a cap. pen. et fin. extr. de raptor.*

Raptus<sup>a</sup> autem tunc committi dicitur, cum illa, de cuius nuptijs nihil actum fuerit antea, abducitur. Vnde qui sibi despō fatam, vel parentibus reclamantibus, abduxerit, in crimen raptus, & in pœnas minimè incidit. Rapta quoque puella legitimè cum rapto matrimonio contrahet, si prior dissensio in consensum transeat. Raptor enim & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum: vitia autem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

*Raptus Monialis purgari non potest. h. d.*

Sed hæc de illis intelligenda sunt, qui mulierum laicarum consensum habuerunt: nam si quis Deo dicatas virgines<sup>b</sup>, vel raperit, vel volentes matrimonio sibi sociare tentauerit, tanquam sacrilegium admittens, pro tanephandi criminis atrocitate plectendus erit, nulla<sup>c</sup> prorsus voluntatis sacrarum virginum habita ratione.

*b can. 2. 36. q. 2. cū seq.*

*c gloss. 1. d. can. 2.*

*Pœna simplicis fornicationis est arbitraria. h. d.*

Demum si quis cum muliere soluta & impudica simpliciter fornicatus fuerit, tam pœnitentiæ modus, quam etiam alia pœ-

na in Iudicis potissimum reponetur arbitrio, qui ex qualitatibus varijs minorem, vel maiorem pœnam statuet.

## DE CRIMINE FALSI, TITVLVS IX.

*Qui per se, vel per alios literas Papæ falsant, excommunicati sunt cum suis fautoribus, & Clerici officijs & beneficijs priuantur, et degradati traduntur Curie seculari. h. d.*

Duersus eos quoque, qui falsi crimen commiserunt, variè statutum reperitur: illos tamen cæteris acrius Canones insectantur, qui literis Apostolicis falsis vsi fuerint. Taliū enim literarum falsarij<sup>d</sup> cū fautoribus & defensoribus suis, anathemate feriuntur: & si Clerici fuerint, omnibus officijs & beneficijs Ecclesiasticis perpetuò priuabuntur, ita, vt qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticū Iudicem degradati fuerint, seculari potestati tradendi sint secundum legitimas constitutiones puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falsitate conuicti, legitimè punientur.

*Qui falsis literis utitur, si Clericus est, officijs & beneficijs priuatur: si laicus, excommunicatur. h. d.*

Mitiùs<sup>e</sup> cum illis agitur, qui licet his vtantur, tamen ipsi nõ falsificauerunt: si enim Clerici fuerint, officijs & beneficijs Ecclesiasticis spoliandi erunt: si laici,

*d cap. ad falsariorum, extra. co. tit.*

*e d. capit. ad falsariorum. §. qui uerò. ext. eod. tit.*